

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 ML
18

St. E

Digitized by Google

Digitized by Google

CORTEX PERUVIANUS

CARMEN

JOH. BERNARDI VIGI.


Digitized by Google

A D

CAROLUM EMMANUELEM FERDINANDUM

SUBALPINAE GALLIAE PRINCIPEM

CORTEX PERUVIANUS



AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

FACULTATE IMPETRATA

MDCCLXXIII

Digitized by Google

CAROLO EMMANUELI FERDINANDO

SUBALPINAE GALLIAE PRINCIPI

JOH. BERNARDUS VIGUS.

Quo magis verebar, PRINCEPS AUGUSTISSIME, *ne vel ipſi Tibi, qui tamen, pro ſingulari, & egregia in literatos homines, literaſque voluntate, tam benigne libenterque, quid-*

Digitized by Google

quid ad eas pertinet, excipere ſoles, non ſatis dignum videri poſſet qualecumque hoc opuſculum, ut illud Tibi nuncupari, tuumque in Patrocinium commendari paterere: eo majori nunc voluptate, quod voti compos factus beneficio tuo, judicioque graviſſimo fuerim, jure, meritoque perfundor. Quid enim optabilius per Deum immortalem, aut quid honorificentius, & ad gloriam praeclarius mihi quidem contingere poterat, quam ut, quem Regium PRINCIPEM *jampridem tot populi, velut e caelo miſſum, admirentur, & cum optimis quibuſque, qui unquam ante fuerint, comparandum exiſtiment, ejus nomine ampliſſimo diſtincta, atque illuſtrata mea carmina circumferantur? Neque vero neceſſe eſt a me commemorari, quae non modo in hac urbe praeclara, Tibique patria cariſſima, totoque in Regno, cujus amor, deliciaeque, & ſpes ſuaviſſima jure diceris, ſed vel in exteris, diſſitiſque regionibus ſunt celebratiſſima. Jam praedicat fama,* PRINCEPS INGENIOSISSIME, *ubicumque de* PATRE *tuo, auguſtiſſimo, atque optimo* REGE,

omniumque ſaeculorum memoria, literiſque celebrando, ubicumque de AVO *clariſſimo, & ob ingentia facta, praeclariſſimaque in Rempublicam merita immortalitate donato, jam praedicat, inquam, fama ſingillatim animi tui ornamenta ſplendidiſſima & a natura accepta, & ab inſtitutione; eximiiſque laudibus ad caelum ubique extollit & ingenii prope divini vim ſummam, mentiſque amplitudinem, & diſcendi celeritatem pene incredibilem; quam, non ſine ingenti laetitia, ſaepiſſime admirati ſunt Inſtitutores ſapientiſſimi, quaque, praeter philoſophicas, & mathematicas res (ut nihil de minus gravibus ſtudiis, & de corporis exercitationibus dicam), & praeter civiles omnes diſciplinas, quae Principem decent, & a quibus etiam maximum Tibi ſubſidium ad immortalem gloriam comparaſti, militarem ſcientiam univerſam animo comprehendiſti: ubique, praeter amorem religionis, qua nihil unquam Tibi prius, & antiquius fuit, quaeque tuis in moribus, factiſque maxime elucet, magnanimitatem celebrat tuam;*

Digitized by Google

ubique benignitatem, praeſtantiamque naturae, ubique prudentiam, ac pene ſenile conſilium, cujus jam ſaepe tam illuſtria argumenta in conventibus cum maxima audientium admiratione praebuiſti. Et quemadmodum, dum de AVO *loquitur, (loquetur autem nullo non ſaeculo magnificentiſſime) ut quemdam veluti cumulum adjungat divinas ejus ad laudes, addere ſemper ipſa ſolet, tam ſe dignum, tamque praeſtantem ſuae gloriae Heredem, & optima inſtitutione, exemplisque praeclariſſimis ab eo formatum, & caeleſtes ad ſedes reverſione, Deo vocante, relictum; ita, quae ſunt in Te laudabiliſſima commemorans, ut in unum omnia conferat, tuo Te cum* PARENTE, *omni laudum genere cumulatiſſimo, paſſim comparat, Eique jam nunc quam ſimillimum merito canit. Et certe non jure modo, ſi recte judicemus, ſed etiam veriſſime. Vix enim per aetatem Ejus ingredi veſtigiis, ad memoriam poſterorum ſempiternam impreſſis, Tibi licuit,* PRINCEPS AUGUSTISSIME, *quum ſtatim tenello imbibens animo, atque adeo perſuaſiſſimum*

habens; tanto plus gloriae deinceps ad Te perventurum, quanto propius ad PATREM *imitatione accederes, dum clariſſimi ubique gentium, Tuique amantiſſimi* AVI, *Majorumque praeſtantiſſimorum decora, vel narrata identidem, vel ſub oculos Tibi poſita admirabaris, totum Te ſemper interea & animo, & cogitatione ad* PATREM *convertebas; ejuſque in vitam, tamquam in Principum exemplar abſolutiſſimum intuens ad ipſius ſimilitudinem Te ipſe fingebas; laudes autem omnes magis ſtrenue in dies, magiſque conſtanter aemulatus, atque in iſtituto curſu progreſſus, eo denique perveniſti, ut expreſſam in Te, veramque imaginem non modo animi, corporiſque, ſed factorum etiam omnium, conſiliorumque admirantes intueamur. Itaque cum ceteris in rebus, quae plus habent admirationis adprime Eum refers; tum amore potiſſimum in bonas artes, liberaleſque omnes diſciplinas, quas mirifice diligi ab ipſo, & foveri, & ornari ſemper vidimus, nunc autem ad ſummum gloriae, felicitatiſque regiis Ejus auſpiciis brevi*

perventum ire conſidimus. Atque hinc etiam eſt, quod non modo a Te petere auſus fui, ut quodcumque hoc munuſculum ne deſpiceres, ſed ſimul quoque ſperare, obſequii in Te mei, venerationiſque teſtimonium acceptum fore. Praeſertim, PRINCEPS OPTIME, *quum Tibi non lateat, quantum utilitatis ad humanum genus redundet, atque ad hanc diem redundaverit ex mirifico, ſaluberrimoque Cortice, cujus vim praeſentiſſimam verſibus perſequor, & quam libenter clementiſſimus, ac ſapientiſſimus* REX *pro ſummo, ac vere paterno amore, quo jam ardebat in populos, prius etiam quam graviſſimis regni curis diſtentus eſſet, quique tam luculenter, difficillimo hoc tempore, omnibus conſulens, & vel ipſo ex vultu eminens, ſe oſtendit, & a ſummis viris miſſum ex longinquis regionibus hujuſmodi Corticem acciperet, & ad aegrotantium allevamentum ſuis ipſe in aedibus condi, & aſſervari juberet, atque adeo ſua manu & divitibus, & pauperibus nullo diſcrimine illum erogare aliquando ſoleret. Huc accedit,*


Digitized by Google

quod ex Avunculi tui omni virtutum genere, praeſtantiſſimiſque factis celeberrimi, REGIS CAROLI *imperio univerſum per orbem propagatur hoc vitae auxilium valentiſſimum; ex Hiſpaniis ſcilicet, quarum memoria nulla non aetate jucundiſſima profecto erit hac in Urbe, totoque in regno feliciſſimo, quod eaedem &* VICTORIO AMEDEO *Conjugem ipſo dignam, & Tibi Matrem, qua ne optari quidem melior poſſit, & regiae veſtrae Domui maximum lumen & ornamentum, matroniſque omnibus exemplum perfectiſſimum cujuſcumque virtutis, quae feminam deceat & dignitate, & genere praeſtantem, & cunctis denique populis Reginam auguſtiſſimam* MARIAM ANTONIAM FERDINANDAM *dederunt. Reſtat igitur,* PRINCEPS BENIGNISSIME, *ut dum, qua par eſt animi demiſſione, Tibi ſupplico, ut ſimul cum dedicato Carmine me quoque tuam in clientelam longe ampliſſimam recipias, eaque mihi jubeas, mea pariter vota communibus addam, Deumque optimum maximum, ceteroſque immortales ſuperos*

enixe in poſterum, ut ſemper adhuc; ſaepiſſimeque orem & obteſter, ut Te ſoſpitem atque incolumem ad immortalem eam gloriam, ad quam natus es, ad Italiae decus, atque ornamentum, ad populorum omnium, quorum animos jampridem ad tantam, tamque jucundam ſpem erexiſti, felicitatem diutiſſime praeſtent, conſtantiſſimeque ſervent.

Digitized by Google

CORTEX PERUVIANUS.



Ad Sanitatem gentium nata Bodus lib. c. c. i.

CARMEN.

BIBLIOTECA ... ROMA

Corticis egregii, quo non praeſentius ullum
Munere divino inventum, & mortalibus aegris
Suffectum auxilium, diroque infeſtius orco

Digitized by Google

Ignotique diu noſtris, oriſque remotis
Huc tandem invecti, Phoebo, fatiſque ſecundis,
Hinc canere incipiam naturam; quique ſit uſus;
Quos abigat morbos; quo tempore, & unde profectus
Europam primum, ac totum recreaverit orbem.
Huc ades, o vatum pater idem, idemque medentum
Praeſidium inſigne, & decus ingens, Delie; iterque
Haud mihi compertum monſtrans in carmina vires
Suffice, meque praëi erudiens nemora alta petentem.

Nec minus, o faciles pia vota audire, preceſque,
Sive juga Andina, & celſo de culmine fontes
Manantes colitis, Peruae praeſentia, Nymphae,
Numina, ſive lacus, ignotave flumina vati,
Aſpirate, precor, Divae, ignarumque docete:
Munera namque cano veſtra, & memoranda reperta.

Tuque adeo, o Regni decus ingens, ſpeſque, paternae
Qui famae ſtudio primis ſuccenſus ab annis
Arduum iter tendis jam nunc veſtigia firmo
Clara legens greſſu, celerique, unde itur ad aſtra;
Deliciaeque & amor populorum, & maxima cura
Caelicolûm dictus nobis fauſta omnia ſpondes,
CAROLE, quae carptum oceani trans aequora, & ultra
Herculeas metas, qua non patet ulla poëtae
Semita trita ſolo, felici ex arbore ramum

Supplicìter tendit; cuique annuit, ore benigno
Excipiens, dium pleſtro graviore canenti
Mirificum Linum, caeli venerabile donum,
Terroremque orci, toto clariſſimus orbe
Nuper Avus [1], factis quem jam, non nomine tantum,
Jam pietate refers, noſtram ne deſpice Muſam.
Sic, quos mira fugat celebri vis inſita Libro,
Uſque tuo cuncti procul abſint corpore morbi:
Sic latus, uſque comes, communia vota ſecundans,
Laeta valetudo longum Tibi ſtipet in aevum.

Principio varius color eſt, variaſque licebit
Corticis hinc formas dignoſcere, vimque latentem. [2]
Eſt, qui caſtaneae nativo e tegmine, ſpinis — Qui Cortex melior.
Undique praecincto, ramos quaſſantibus Euris,
Eruptae interius ſimilis (namque extima, ventos

1 CAROLUS EMMANUEL III auguſtiſſimus Rex, rerumque geſtarum gloria ubique gentium clariſſimus, cujus nomini inſcripta fuit Sindon Taurinenſis, ſive de Sindone Taurinenſi Libri duo anno 1768, & anno poſt ejuſdem Sindonis Translatio.

2 Gli Spagnuoli diſtinguono quattro ſorte di queſta preziosa Scorza; cioè la *Colorada*, o ſia Roſſetta: *l'Amarylla*, o Giallicia: la *Creſpilla*, o Riccia: e la *Blanca*, Bianchiccia, V. *Chiambers* Dictiónarium Artium, & Scientiarum, cu us haec ſunt verba Italice reddita; & quae Ludovicus *Savary* in ſuo Dictionario eorum omnium, quae ad commercium pertinent, in hanc rem tradit.

Quae tulit, ac nimbos, matris dum membra tegebat,
Eſt generi facies pene omni fuſca) rubeſcit.
Alter ſubflavus peregrino ex littore nobis
Mittitur, atque refert, vel, amygdala ſicca colore,
Quamvis pallidior, vel quae labuntur ab ulmis,
Arentes hiemis primo ſub tempore frondes.
At par eſt pretium, par vis utrique; nec ullum
Sit potius, meliuſque genus, mediciſque magiſtris
Laudandum magis. Hoc optet ſibi quiſque parari,
Quum febris ingruerit, ſubeatque ſub oſſa, levamen:
Seligat hoc Chiron, vel qui mandata faceſſunt,
Dum recreare ſtudent duris in rebus ab aeſtu
Languentes ſaevo, trepidum poſt frigus, amicos,
Pallidaque amiſſum revocare in membra vigorem.
Hoc ſibi quiſque paret prudens, ſervetque repoſtum,
Cui ſua cara ſalus, & quae matercula natis
Pallet, agros urit quum ſol vehementius, & quum
Graminaque, floreſque arent, ac prata dehiſcunt.
Hoc tu, cui merito fecere ingentia facta
Ejus uſus in Galliam revocatus. Cognomen Magno, Regum o clariſſime quondam
Francigenûm Lodoix, quaeri multo aere jubebas,
Quum te fama viri [3], quo non felicius ante

3 Anno 1679 Robertus Tabor, vel Telbot Eques Anglus nova introducta Corticis exhibendi ratione .... Kinae-Kinae uſum ſub *Anglici remedii* nomine, vulgo *le remède Anglois*, in Gallia reſuſcitavit ...

Ingenitas Libro vires tentaverat alter,
Mirificae ſuaſit, diaeque probare medelae,
Ac revocare uſum non longo ex tempore lapſum;
Quumque tuo juſſu febris ſolamen anhelae
Hinc petere in caſtris cuncti tua ſigna ſequentes
Coepere; hinc populi ſponte; eventuſque ſecundi
Stulta refragantum [4] damnarunt omnia dicta.
Nec, quae tot meritis tibi tantum cuncta fatetur
Se debere, parum hoc uno tua Gallia debet.

Nec ſolum indicio color eſt. Sapor aſper in ore
Certius eſt ſignum, quemque Indica aromata reddunt
Humenti ſervata diu ſi forte oleaſtro
Mucuerint, commiſtus odor. Quin dentibus ipſis
Noſcere, ſi attendas, poteris; tibi namque friari

Quibus notis dignoſci poſſit.

Summa autem cura remedium, illiuſque praeparandi rationem occultabat, ita ut fortaſſe adhuc ignotum lateret, niſi Ludovicus Magnus populorum ſaluti ſemper conſulens, feliciſſimo ejus experimentorum ſucceſſu permotus largam auctori mercedem rependendo Corticis Peruviani exhibendi rationem omnibus notam feciſſet, juſſiſſetque, ut Cortex ille undique conquireretur, & ut exercituum noſocomiis, totumque per Regnum diſtribueretur, mandaviſſet. Sic optimi illius Principis diligentia, atque providentia praeſtantiſſimi illius remedii dotes omnibus innotuerunt. *Geoffroy* de materia medica parte 2, de Vegetabilibus exoticis art. 6 ex Gallico ſermone in Latinum converſus Venet.

4 Ella (la Chinachina) incontrò grandiſſime oppoſizioni da principio. Chifflet, e Plempio ſi diſtinſero ſcrivendole contro. *Chiamb.* V. *Torti* Therapeuticen lib. 1 cap. 2 & 3.

Sit facile, atque teri morſu genus omne minutim.
Praeterea hoc etiam, ſi vera eſt fama, patebit [5]
Inſita vis, ſigno. Vitreum cratera rubenti,
Quem pedibus modo preſſa dedit tenera uva, liquore
Sume manu plenum: triti tum Corticis intus
Conjice, quod ſummis picta de pixide poſſis
Corripuiſſe ſemel digitis biniſve, tribuſve:
Jamque ſtatim craſſas penitus ſubſidere muſti
Ferventis partes Peruano a munere, praeſtans
Si ſit, depreſſas cernes, ſubitoque colorem
Mutari, purumque vitro ſplendeſcere vinum.
Nec minus occultam ſic vim explorare licebit. [6]
Poſtquam rite cavo domitum contriveris aere,
Iverit & multus tenuatus pulvis ad auras,
Imum quod cyathi vitrum tegat omne, vel aurum,
Cortice de trito immittas; dein praecipe aceto
Vitigeno aſpergi, quo non mordacius ullum
Eſſe queat: lentoque prius ferveſcere motu
Mirificum Librum hinc cernes, ſubitoque tumultu
Miſceri partes: acidum mox pulvere totum
Sentiet immiſto abſorptum, qui admoverit ori,
Experiens, calicem, immutatumque liquorem.

5 V. Thomae *Campailla Adamum* cant. 11 ſtr. 109

6 Ibid. ſtr. 112. Quae autem fides hiſce experimentis adhibenda ſit, ipſe viderit.

Fert utrumque genus ſilva una eademque, tepentes
Quae ventos ſpectat, Boreae nec frigora ſentit.
Atque hinc arboribus, toto qui corpore ſe ſe,
E terra ſaliens, atque a radicibus imis,
Diffundit, ſuccus melior, melioraque dona
Sufficiunt ipſae exutae labentibus annis.

At, qui de plantis, gelidus quas adſpicit axis, Cortex deterior.
Carpitur, & nudos maturo tempore paſſim
Corbibus exceptus truncos, ramoſque relinquit,
Longe eſt deterior, licet idem nomine, Cortex.
Hunc tu igitur viſu, nam plurimus ipſe probato,
Caſſaei ut fabulae vulgares littore Eoo
Miſſis, fraude virûm miſcetur, noſcere diſcas. [7]

Haec tibi ſigna color luſtranti ſingula, ut aequum,
Haud dubitanda dabit. Qua parte Erimantidos urſae Ejus notae.
Pertulit adſpectum, ventoſque, ac frigora ſenſit,
Albeſcit ſcaber, & maculis interlitus atris,
Exiguis, rariſque tamen; quaque arbori adhaeſit
Laevior, & latice immaduit per cuncta fluenti

7 V. *Badum* in Anaſtaſi Corticis Perûv. lib. 2 cap. 9, & Cardinalis *Delugo* epiſtolam ad ipſum *Badum* datam Romae IV non. octob. 1659, & *Chiamb.* qui praeter cetera haec habet: la buona (Scorza) è molto ſcarſa, ed è aſſai difficile ad averſi: per la qual ragione con un poco della buona, e fina, che ogni anno ſi manda a Panama, per traſportare in Europa, grande quantità della peggiore è frammiſchiata.

Stirpibus ex imis Tauri ſub ſidere, amomo
Concolor eſt: duplexque genus numeratur. Eamdem
Hic formam praefert, ac cui vis munere Divûm eſt
Indita praecellens, anniſque, uſuque probata,
Atque colore uno viſus diſtinguitur. Iſtum
Rejicias memor: admonuit non futilis auctor.

Tenuior eſt alius, penituſque ubi deficit humor
Sole ſub ardenti ſiccatum, protinus ultro
Involvit ſe ſe, & velut arida cinnama criſpat:
Atque hinc Hiſpani dixerunt nomine *criſpum.*
Non adeo hic vilis: quin & certare putatur
Egregio a multis noſtro procul axe remotis.

Eſt, cui praeterea penitus liber albet, & *albo*
Eſt factum nomen. Nullis hic uſibus aptus
Fertur, ubi ad ſolem, Boreaeve ad flamina tandem
Duruit in tumulo expanſus, vel rupe ſub alta.
At modo decerptus, vena quum manat ab omni,
Qui totum adſcendens truncum perlabitur, humor,
Non minus eſt morbis pellendis utilis, ac qui
Felici in ſilva, & ramis felicibus haeſit.

8 La piccola Scorza, che s'arricela, e increſpa, come le bacchettine di cannella, e che in Inghilterra è molto apprezzata, perchè ſi crede, che la diano i rami dell'albero, e che però ſia più efficace nella cura delle febbri, è ſolamente la Scorza delle piante giovani, la quale eſſendo aſſai ſottile, s'arriccia facilmente in tale maniera. *Chiamb. ib.*

Durior

Durior hic autem longe eſt, multoque labore
Deripitur truncis ferro, & mage craſſus, & aſper.

Nec non diſſimiles tractu ſunt plantae in eodem.
Hoc quae veſtitur majori ſtipite ad auras
Attollit ſe ſe, frondeſque ſimillima lauro
Brachia protendit late: minus ardua tollunt [9]
Culmina, quae coni ſpeciem, nulla arte magiſtra,
Pene omnes referunt, reliquae; nec caudice ab imo
Enodes, tereteſque ullum faſtigia ad uſque
Diffundunt ramum: truncos complectitur omnes
Ulna viri, prunique putes oblonga virere
Per ramos folia: e foliis in [10] vertice ſummo
Altius attollunt ſe ſe per mutua nexi
Multiplices flores, varioque colore niteſcunt.
Caerulei primum, donec pandantur, & omnem
Prodiderint formam expliciti, inſignemque decorem,
Fronde ſuper viridi ſurgunt; mox protinus oſtro
Effulgent intus, circumque in margine pallent:
Seminaque, his lapſis, erumpunt ordine certo

Arbores ex quibus carpitur.

9 Queſt' albero é alto, e il ſuo tronco più groſſo, che là coſcia d'un uomo, che dalla radice in ſu va ſempre impicciolendoſi, ma ſenza rami ſin verſo la ſua cima, dove creſcono regolarmente, come ſe foſſero dirizzati, e tagliati con arte. *Chiamb.*

10 V. in Commentariis regiae Scientiarum Academiae Pariſienſis, quae hujuſmodi de arboribus literis prodidit clariſſimus ejuſdem Academiae ſocius. *De la Condamine* anno 1738.

Digitized by Google

Per loculos digeſta ſuos, diviſaque ſepto,
Qualia fert ulmus, peponum vel qualia ventre [11]
Extrahit, in varios qui ſiccat providus uſus,
Sed magis exigua, & tereti accedentia avenae.

Ubi naſcantur.

Nunc quibus in terris Phoebo gratiſſima planta,
(Gannaperim indigenae patrio ſermone vocarunt) [12]
Exuviiſque potens frondeſcat; quique legendi
Corticis inductus jam longo ex tempore paſſim
Sit modus expediam. Saltus juvat ire per altos,
Et nemora, & fontes luſtrare, amneſque, lacuſque
Trans magnum Oceanum, priſciſque incognita ſeclis,
Fronde comas cinctum felici ex arbore carpta,
Cuncta per ora virûm celebris miracula Libri
Diis ferre auſpicibus. Jacet Auſtri e nomine dictis

11 Praeter Corticem ſunt, qui dicant ineſſe eamdem vim fugandis febribus ſemini arboris illius, quod ſemen patrio ſermone, ſeu Hiſpano dicunt, *Pipitas de Quina*, eſtque ſimile, ajunt, ſemini cucurbitae. *Badus* lib. 1 cap. 1.

12 Sunt qui *Gannaperide* vocant; ſunt qui *Chinanepide*; ſunt qui *Guananepide*. Alii dicunt *Guananegide*. Hiſpanis dicitur *Palos des Calenturas*; hoc eſt Lignum febrium. *Badus* lib. 1 cap. 3. Ab ipſo *Bado*, aliiſque medicis non paucis, ob excellentem Corticis vim, ad pellendos morbos praeſentiſſimam *Arbor vitae* multis in locis vocatur. V. *Geoffr.* initio art. ante cit.

Digitized by Google

Fluctibus aequoreis juncta, & tibi, maxime Xauſa, [13]
Irrigua, extremis Americae in finibus auri
Divitis ora ferax, proaviſque haud cognita noſtris.
Nunc ditione premunt Hiſpani, & nomine dicunt
Antiquo Peruam. Silvis ibi plurimae in altis
Cortice mirando celebres, non fructibus, ultro [14]
Proveniunt plantae. At nullae potiora fugandis
Munera ſufficiunt morbis, citiuſque levamen
Exuviis praebent, quam, quas capita ardua caelo
Tollentes Andes, magni diſcrimina Regni, [15]
Undique progignunt, & quas frondeſcere Loxa
Ipſa ſuis cernit non longe a moenibus altis,
Atque diu exutas bruma penetrabili aduri.
Hos ergo in montes, ubi primum arbuſta cicadis [16] Quo tempore decorticentur.

13 Fluvius ingens Americae meridionalis, vulgo *Rio marignon.* Oritur ex lacu *Chincacocha* 120 mill. paſſ a Lima in Boream: atque in Ortum tendens maximam Peruviae partem irrigat. Ex *Ferrarii* Lexico Geograph.

14 Foliis vireſcit, floribuſque vernat eximie; nulli tamen, quod mireris, ei fructus inſunt. *Badus* lib. 1 cap. 1 ex epiſtola Italica M. S. M. Antonii *Bolli* mercatoris Gen.

15 Andes, Gallis *les Andes*; Hiſpanis *Cordillera de los Andes*, & *Sierra Novada*, montes Americae meridionalis altiſſimi . . . in longitudinem mille fere Leucarum extenſi. Ex *Ferrario* ut ſup.

16 La ſtagione, per tagliare la Scorza, è in agoſto, che è il ſolo tempo ſecco nella regione. Quei, che la tagliano, ſono Indiani provveduti ciaſcuno di un gran coltello, e di un ſacco. *Chiamb.*

Sole ſub ardenti incipiunt ſtrepere omnia circum,
Et furere icarium ſidus, caeloque micare,
Plurima ſe pubes (aptum nam tempus) ab imis
Vallibus, & celſo clivorum culmine confert
Ferro ſuccincta, & truncos deglubere certans.
 Protinus ad ſolem, congeſto caeſpite, apricum
Quiſque ſibi, ſociiſque ſuis magalia parva
Exſtruit, aut ſaxis molitur tegmina in ipſis,
Quo ſe ſe referant ſub noctem, & lecta reportent,
Quum vis ingruerit nimborum forte propinquo
Aequore ſe tollens, populatae munera ſilvae.
Nec non vimineas, & tecti ante oſtia, & intus
Intexunt crates, tabulataque ruſtica adornant
Solliciti, luceſque orant, nocteſque ſerenas.
Mox ſe ſe diae laeti nemora alta petentes
Accingunt praedae, & peras, corbeſque coronant.
 Primo imus caudex, nitida reſonante ſecuri,
Quomodo. delibrentur. Exuitur, ſaccique patens os mergite pendet, [17]
Ilicis aut ramo vicinae. Mox ubi, raptis
Excuviis, albet trunci pars ima, ſupremum
Nititur ad culmen ſenſim populator acerbus.

17 Quando hanno ſcortecciata la pianta, il più alto, a che poſſan giungere, attaccano de' corti baſtoni con vinchi all'albero in comode diſtanze, come i gradini d'una ſcala, e così montano a recidere la Scorza ſin ſulla cima. *Chiamb.*

Nec tabulas, ſcalaſve adhibet: circum ipſe recidit
Sedulus haud paucos ſolido de robore vectes,
Viminibuſque duos ipſo de ſtipite utrinque
Aeque protentos, qua jam populatus, & albet,
Connitens pedibus, nectit, ſolidatque premendo,
Quattuor ut circum binas non amplius ulnas
Se capita extendant, corpuſque prementis, & una
Suſtineant lectam, caeleſtia munera, praedam.

His actis, aliaſque ſudes, & vimina nexis
Imponit ſudibus, ſcandenſque opus ordine eodem
Inde novum ſtruit, & ſpatiis diſcriminat aequis.
Sic, ubi defixus validis altiſſimus alnis
Eſt malus, tollitque ingens ſe mole carinae
Navali in magno ferro firmatus, & aere
Vim Boreae contra, Cauroſque, Notoſque furentes,
Si funes aptare paret Palinurus, & omnem
Velorum ornatum, & carcheſia vertice ſummo,
Non ſubito ad pini ſocia cum pube cacumen
Nititur, ut nectat, mirus quae poſtulat uſus.
Ordine multiplici trochleas, varioſque rudentes;
At prius ilignis, textiſve e vimine ſcalis
Inſiſtens imam circum multa, arte magiſtra,
Molitur partem, vigilique, acrique labore
Exercet ſocios, atque hinc ſupera ardua ſcandit.

Verum ubi frondoſum ſpoliis jam laetus opimis

Digitized by Google

Contingit culmen manibus, nec tendere porro
Jam licet, agreſti ſua teſtans gaudia cantu
Deſcendit, plenaeque ſolum demittit ad imum
Telae onus, atque ſudes, & vincla tenacia ſolvit.
Apparent longe nudati Cortice trunci,
Albenteſque horrent, veſtiſque decore carentes.
Nec tamen intereunt [18]: manet in radicibus imis
Abdita vis ingens, penituſque in corpore toto
Diffundit ſe ſe, nudos nec deſerit artus
Vitalis, genitrix quem ſedula ſufficit, humor.
Quare ipſis videas certo poſt tempore rurſus
Paullatim tenerum, tenuemque inoleſcere Librum;
Mox hiemes contra, & Boreae penetrabile frigus,
Scabritiem induere. At, quatuor ni denique luſtra
Tranſierint primum, poſtquam fera vulnera paſſi,
Ne quiſquam heu! nimio praedae ſuccenſus amore
Irruat, ac ferrum impingat, matrique dolorem
Antiquum renovet natis ſpolia altera carpens.
Nam neque paeonios Cortex dereptus ad uſus
Proderit ante ſatis, laceroque in corpore vires
Langueſcent fractae, verno nec tempore flores
Amplius aut ullas ſummittent brachia frondes.
Quippe haec arboribus, nullo quae ſemine jacto

18 Vid. *Badum*, ut ſup. lib. 1 cap. 1, & *Chiamb.*

Sponte ſua veniunt, natura, ut ad aethera tarde
Attollant ſe ſe, frondoſaque culmina pandant,
Utque ſalutifero maturo tempore Libro
Exutae ſemel haud ſaevae (niſi fugerit aeſtas [19]
Jam vicies prius, & vicies vindemia plenis
Spumarit labris) patiantur vulnera falcis
Impune, & penitus, velut ictae fulminea vi,
Areſcant, ſiccaeque cadant de vertice frondes.

Sunt, quibus inverſo placet ordine carpere toti
Exſpectata orbi auxilia, & ſolamina vitae;
Tuncque modo in truncos, quum jam, ſudibuſque ligatis,
Servato ſpatio in morem, facilique parato
Deſcenſu, ad ſupera evaſere cacumina, ferrum
Moliri dextra, & mirum decerpere Librum.

Telam igitur celſo ſuſpendunt culmine apertam,
Demittuntque ſimul validum, quem pectora ſubter,
Robuſtoſque humeros ducant, atque ilia circum
Connectant funem, dum proni vulnera ſaeva
Ingeminant falce, & ſudium diſcrimina nudant.
Poſt, ubi dereptae ſpatio ſunt denique ab alto
Exuviae, truncique albet pars proxima ſummo,
Frondoſoque apici, dextris retinacula ſolvunt,
Dejiciuntque ſolo capiti incumbentia vincta

19 Dopo che un albero è ſtato dipelato fa meſtieri, perchè creſca di nuovo la ſua corteccia, laſciarlo diciotto, o venti anni. *Chiamb.*

Digitized by Google

Robora, & alternant variumque, gravemque laborem,
Donec humo obnixi delibrant denique partem
Caudicis extremam, & diſtendunt cortice ſaxum.
Haud ſecus artifices, ubi ſtructam denique turrim
Eduxere polo ingentem, rudibuſque ſubacta
Calce parant ſaxis decus addere, & arte colorem
Inducunt varium, prius alto a tegmine coepto
Incumbunt operi; mox, quum manus ultima tandem
Acceſſit, tabulata ruunt, quibus inſtitit aequo
Diſpoſitis ſpatio ſollers, operoſaque pubes:
Dein alia ex aliis picto de pariete tollunt:
Hac, illacque ſolo interea tabulaeque, trabeſque,
Tortaque vincla jacent; pulviſque it multus ad auras.
Quid referam, ut cuncti ſua quiſque mapalia, clarum
Veſper ubi os profert, & gurgite Phoebus Ibero
Tinxit equos, repetant, & quae convicia jactent
Ruſtica, fallentes, operumque viaeque labores?
Quid, quae cura viris, & quae ſollertia, lectae
Ne praedae officiat, vel qui non utilis humor
Exſudat fibris, vel, quem Notus attulit, imber;
Quamque alacres redeant, tenebras quum pellere inertes
Incipit aurora, ad nemorum juga nota relicta?
Nulla illis requies, donec diſcedere tempus,
Sidere mutato, admonuit, pluviaſque futuras
Effugere, autumni quas frigora prima ſub illo

Axe

Digitized by Google

Axe ferunt multas, & quas praenuntiat ipſe
Haud dubiis polus, & ponti vada concita ſignis.
Tunc autem lectam aut traheis vectare paratis,
Aut humeris praedam cura, & labor ultimus omnes
Exercet. Nemorum complet divortia nota
Deſcendens robuſta cohors, patrioſque penates
Hinc repetit primum, Loxamve deinde, Quitumve;
Commutatque auro populatae munera ſilvae:
Voſque ſinu veſtro, quidquid mortalibus aegris
Sufficit auxilii regio ditiſſima, tandem
Excipitis, Panamae, feſſis gratiſſima nautis,
Moenia; & a vobis toto diffunditur orbe.

Jam, quae ſit ratio peregrino e Cortice praeſens
Solamen miſeris, morbo bacchante, petendi
Exequar, & leviter patrum placita omnia tangam.
At prius e ſaevis, hominum quae corpora paſſim
Innumerae torquent, febribus, quas pellere certa
Poſt ſpatia, aut ſubito juvet oppugnare, quibuſque
Principio ſignis ſe oſtendant, ordine dicam.
Nec numerum verſu, & cunctas comprendere formas
Adgrediar: nec enim plures vel in arbore frondes,
Vel cumulo in magno aggeſtae numerantur arenae.

Quibus in febribus Cortex proſit.

Principio, ſi te, alternis quae concutit artus,
Concuſſoſque levat, ſeque ipſa remittit, abitque,

In intermittentibus potiſſimum.

Quum ſemel ingruerit, rurſumque invadit, & urget
Acrius oſſa petens, malecautum oppreſſerit anni
Non fauſtis horis, Peruano a munere ſpera
Solamen primum, certamque deinde ſalutem.
Utere tentatis toties, tamque alite fauſto
Viribus, atque armis, caelo quae denique ab alto
Qui mare, qui terras, qui ſidera numine torquet
Suffecit, mirum truncis inoleſcere Librum
Praecipiens, noſtriſque ſinens noteſcere in oris:
Quoque magis ſaevus furet hoſtis praelia miſcens,
Tu magis his armis confide, &, idonea captans
Tempora, depugna, contraque audacior ito.

Quomodo vim ſuam exerceat.

O miras dictu [20], & plectro graviore canendas
Pulveris exigui languenti in corpore vires!
Vix ſtomacho exceptus, fibriſque agitantibus actus
Huc illuc ferri, motuque caleſcere coepit;
Protinus excretam linquens pars vivida inertem,
Qua data porta, fluit, viroſaque ſemina morbi
Inſequitur, latebraſque omnes, caecoſque meatus
Excurrens ſaevum minuitve, domatve tumultum:
Sive illa adgrediens, ubicumque eſt nacta, fluendo

20 Hucuſque nondum patuit hominibus remedium ullum tam mirum, tamque citae operationis, ut momento febres jugulet, ut ob id inter mirabilium cenſum jure optimo reponendus ſit Cortex. *Bad.* lib. 1 cap. 14.

Inſinuet ſe ſe, velut actum in robora ferrum,
Vique ſua, ut chalybem ſolvit ſtygia unda, veneni
Particulas tenuet, ſtimuloſque, aciemque retundat; [21]
Sive has, ut potior viſa eſt ſententia multis,
Et ratio docet ipſa, ſuis immiſceat arcte
Complectens finibus, ne ſit remeare poteſtas,
Contineatque diu velut atro in carcere Cortex;
Sive alia ratione domet; non una docentum
Namque eſt vox patrum, nec ſat ſententia conſtans.
Haud aliter, ſaevus quum ſe patulo ore moloſſus
Extulit e ſtabulo, & raucis latratibus inſtat,
Carnis ſi fruſtum medicatae, offamve veneno
Objiciat trepida captus formidine paſtor,
Protinus objectam voret ille, iraſque remittat
Fuſus humi primum; mox, dum jam corpore toto
Miſcebit ſe ſe, & laniabit viſcera virus,
Langueſcet moriens tecti ſub limine primo.
Infremet hinc fruſtra, occultoque minabitur hoſti
Lethum herus, atque minis implebit inanibus auras.

Teſtis ego ah quoties morbo recreatus, at annis
Praecipue ante tribus. Nam quum, tandem urbe relicta,
Rus peterem laetus placida otia carpere ſperans,
Otia, quae fieri, mens ut recreata vigorem

21 Vide *Torti* lib. 1 cap. 5, 5, 6.

Inde novum ſumat, Pallas jubet ipſa quotannis,
Ecce tibi feſſumque via, patrioſque tuentem
Jam colles, campoſque prope, hoſpitioque receptum
Me febris invadit, medio quum ſidera lapſu
Volvuntur, mediamque ſubit nox humida metam.
Protinus algorem, qui primus membra pererrans
Signa dedit morbi, calor excipit, imaque ſenſim
Viſcera pervadens multas me torquet ad horas.
A capite it ſudor, totoque a corpore: fervent
Ora, artuſque omnes; lingua aret, labraque; ſtrato
Nulla quies; ſortemque queror dum creber acerbam,
Neſcio quo inſolito (dictu mirabile) ab oeſtro
Percitus haud ultro non peſſima carmina fundo.

Jamque mihi metuit ſolitus terrere feroces
In ſilvis belluas, & ſanguine proximus hoſpes;
Sollicituſque ſui ſigna inclyta praebet amoris.
Mox relevor tandem, penituſque a corpore languor
Paullatim abſcedit. Sed nondum tinxerat undis
Bis Phoebus currum, quum me petit acrius inſtans
Vis eadem morbi, rurſuſque alternat eaſdem
Saeva vices, miſeroſque furens depaſcitur artus.

Quid referam, quoties, dum me ſolatus amicis
Paeonia arte potens verbis durare juberet,
Hac una dicens penitus ratione domari
Poſſe luem tandem, viruſque ac ſemina dira

Digitized by Google

Corpore depelli, vel vim rabiemque retundi,
Heu! nimium lentas variis ſermonibus horas
Fallere nequicquam optarim, ſaevumque, ſub oſſa
Illapſum, ſtrato exſpatians, lenire dolorem?
Verum ubi bis quinas durando denique luces
Tranſegi, ut juſſus, nulliſque levabar amaris,
Quos hauſi, ſuccis: nunc jam novo ab orbe petitum
Confugere ad Librum, certamque adhibere medelam
Tempus, ait medicus, multis mihi carus ab annis [22]
Auxiliumque jubet ſubitum ſperare, fugamque
Pugnacis morbi interea. Nec plura locutus
Seligit externi medicaminis ipſe paranda
Pondera juſta ultro; nec me prius inde reviſit,
Quam mihi mirificus totus per viſcera ſe ſe
Diffundit pulvis, viroſaque ſemina febris
Oppugnat paſſim adgrediens, ac denique vincit.
Quem ſimul ac video (nec adhuc bis vexerat almam
Exoriens Phoebus lucem, tenebraſque fugarat)
Quas nunc, exclamo jam laetus, jamque moleſto
Explicitus morbo, tibi grates reddere, amice,
Quae meritum exaequent, potero? miramque potentis
Vim Libri admirans, gratuſque ad ſidera tollo.

22 Joſeph *Berutti* a Ciriaco non mediocri ingenio vir, rerumque medicarum ſcientia, & uſu praeſtans.

[stamp] ... EMANUE...

Et ſit, qui verbis caeli mirabile donum,
Inſani arripiens vulgi convicia, carpat?
Aut dubitet quiſquam, uſuque, ingenioque magiſtro,
Hoc ſibi conſulere? Hoc vitae adjumenta parare?
  Haec tibi principio, ſed non tamen omnia ſemper,
Accedentis febris ſigna. Nec ſimul, ipſa ſui, jam jam ſubitura ſub oſſa,
Signa dabit febris. Prius os diducere crebro
Incipies, tenueſque auras emittere more
Otia ducentis non grata: hinc arida labra,
Extremique tibi liveſcent protinus ungues:
Pallida frons erit, & manuum cutis aſpera: plantas
Tentabit primum; toto dein corpore ſerpet
Artubus inſinuans trepidum, & per viſcera frigus,
Atque tremens quaties iterato murmure dentes.
Mox caput, ac renes triſtis, contractaque terga
Corripiet dolor, & tremefacta ſub oſſa ſubibit.
Par erit algori, qui poſt ſuccedet, & uret
Viribus exauctus calor artus: oraque ſudor
Perfluet, atque brevi ſtratum humectabitur omne.
Hinc non ulla quies membris; non pellere diram
Ulla ſitim poterit vis undae: horaſque morantes
Increpitans moeſtis implebis queſtibus auras,
Immeritumque ipſum culpabis ſaepe cubile.
Quae remedia Cortici praeferat vulgus. Nec placeant tibi forte magis, quae plurima vulgus
Commendare ſolet, patribuſque probata referre,

Digitized by Google

Pharmaca. Namque alii medicanda agreſtibus herbis,
Vixque ſibi notis generoſi pocula vini:
Hi ſalicum foliis, vel quae fert Perſica malus;
Aut ruta expreſſo ſucco, aut plantagine dicent, [23]
Bugloſſave diu infuſa: matreſque, virique
Praecipient ſua quiſque tibi, certumque levamen
Spondebunt. Illi cum myrrha abſinthia miſta
Laudabunt (nec ego damno): catapotia, vique
Arcana imbutas manibus felicibus herbas
Anteferent iſti: terram e regione remota
Deveĉtam multi. Nec, qui ridenda reperta
Commendent, deerunt; quino & cum cimice muris
Siccandum igne jecur dicent [24], dein aere terendum,
Fallendumque aegrum cyatho non amplius uno
Pulveris immundi ignarum, miſtique meraco.
Multaque praeterea, quae corda improvida paſſim
Caeca ſuperſtitio, aut vani docuere parentes,
Mirifico Libro haud pauci potiora levandis
Contendent aegris, quibus artus febris adurit;
Puniceique volent ſatis eſſe involvere mali
Cortice, vel lana pallentis grana cumini,

23 V. *Apulejum* de virtutibus herbarum cap. 112, & *Plin.* lib. 8 Nat. Hiſt. c. 27.

24 V. *Torti* lib. 1 cap. 2 & b.: & Q. *Sereni Samonici* Praecepta cap. 50.

Amuleta.

Pulegiumve potens, atque aegri appendere collo,
Vel digito induci, quam texit aranea, telam,
Pelliculamque ovi, rupto quae tegmini adhaeret,
Vulgareſque preces iterari, & carmina inepta.
Tam facile his morbis ſpondet ſolamina vulgus.

In tertianis duplicibus adhibendus.

Nec ſi nulla dies vacet aeſtu, algoreque diro,
Accedantque novi pauco poſt tempore ſemper,
Inque vicem alterius vis cedat, ſeque remittat,
Saeviat alterius, modo ſint diſcrimina certa
Acceſſus inter, penituſque deinde leveris,
Convenient Peruana minus tibi pharmaca; nec ſi
Alternos inter vacuum interceſſerit aeſtus
Aut biduum, aut triduum, febris unde eſt nomine dicta

In quartanis, quintanis, ſeptimanis &c.

Praecipuo, aut majus ſpatium (nam quartaque fertur, [25]
Sextaque lux etiam prius alto a gurgite quondam
Afferri terris, quam, quem ſemel arida febris
Corripuit, tenuitque urgens, mox impete eodem
Inceſſat rurſus, tremefactaque membra pererret).
Ante tamen juſtum, quam bellum moveris hoſti

25 V. *Hippocr.* de morbis popularibus lib. 1 ſect. 3, ubi, praeter tertianam, & quartanam febrem, quintanas etiam, & ſeptimanas, & nonanas mominat πεμπταῖοι, ἑβδομαῖοι, ἐνναταῖοι: harum autem omnium peſſimam eſſe quintanam docet his verbis: ὁ δέ γε πεμπταῖος πάντων κάκιστος. Huc refer, quod & *Plinius*, & *Valerius* maximus affirmant de *Antipatro* poëta, quem narrant, eodem die, quo natus eſt, ſemper febri laboraſſe, quoad vixit, eaque tandem extinctum fuiſſe.

Ter

Ter quinas referat [26] tibi luces Phoebus ab undis, Non ſemper adhib. ſubito.
Vel ſaltem quartae ſuccedat ſeptima: nec te
Forti animo pigeat juſſis durare diebus.
Proderit iſta mora auxilii, labefactaque tandem
Vis morbi, & radix ſerpens per viſcera cedet,
Tutius & poterit praeſens medicina adhiberi.
Sic poſtquam per prata diu ſine lege, modoque,
Aequore vel juſſo capite arduus, aureque utraque
Subrecta, aut nullis ſonipes ruit acer habenis,
Aut ſubito immiſſis, & jam de corpore toto
Plurimus it ſudor, ſpumae ore, & naribus ardens,
Atque humeris fumus, facilis ad juſſa, volenſque
Flectitur, & paret, quos reſpuit ante, lupatis.
Scilicet ipſa ſuas tandem minuitque, teritque Quid utilitatis ex dilatione.
Effervens febris correpto in corpore vires:
Quique prius ſuccus [27], fons unde, & origo tumultus,

26 Curandum eſt ante omnia, ne praemature nimis hic Cortex ingeratur, ante ſcilicet, quam morbus ſuo ſe marte aliquantiſper protriverit. *Sydenham.* Utrum vero ſemper, nec ne; & qua potiſſimum tempeſtate ſervanda ſit haec regula, diſce a medicis.

27 Haec cauſſa febrilis nobis incognita, ubicumque delitescat, & quantacumqne ſit, non erit, ſaltem ut plurimum, molis, aut quantitatis inſignis: immo, ſepoſitis jam, atque exſibilatis humoribus imaginariis antiquorum, fas eſt credere cum doctiſſimo *Borello*, quod ſit *ſuccus*, vel humor quidam molis ſaepius exiguae, quem fortaſſe cochlear unum caperet, per intervalla ſanguini affuſus, illumque in motum febrilem concitare aptus. *Torti* lib. 1 cap. 3.

Vitali affuſus latici magno impete motum
Continuit miſcens ſe ſe, cunctoſque per artus
Frigoris horrorem excivit, mox denique victus
Jam celeri fertur, rapidoque per omnia greſſu,
Qua fluit, ac refluit (dictu mirabile!) ſanguis;
Atteriturque ipſo, quo fervet, & aeſtuat actus
In gyrum, motu, dum venas, arctaque cuncta
Oſtia pervadit, fruſtraque reſiſtit eundo.
Hinc & colluitur tandem, egeriturque movendo [28]
Excretum quod obeſt, viruſque eſt nomine dictum;
Quodque eſt affrictu jam purum, ipſique liquori
Vivifico ſimile, huic miſtum remeatque, meatque
Per tubulos omnes, membriſque alimenta miniſtrat.
Praeterea & reliquos, quorum ingens copia, pravos
Corporis humores, ſi quos aut viſcera caeca
Includunt, aut cetera habent penetralia, quique
Et vires morbis, & praebent pabula, ſolvit,
Attenuatque idem febris aeſtus, ſanguine craſſo
Excernens, ſubigitque ſuo fervore per artus
Effuſos ſenſim tenues vaneſcere in auras,
Laxatoſque ſequi ſalſo ſudore meatus.
At, ſi ſaeva ſtatim indomitas denuntiet iras,
In pernicioſis ſubito adhib. Certa licet ſe ſe poſt intervalla remittat,

28 V. *Torti* lib. 1 cap. 8.

Perniciemque furens pariter, clademque minetur,
Dum requiem ſpondet, quae urit praecordia, peſtis,
Ne ſero ah! male cautus opem tibi abunde paratam
Munere divino, longoque ex tempore notam
Expoſce. Obſtandum eſt ſubito, frangendaque diri,
Dum facilis vinci, metuenda potentia morbi.
Heu quot ea abſumſit, fatoque extinxit acerbo,
Quod nimium ſero Panamae deveſtus ab oris
Succurrit Cortex, vel quod non optimus ollis,
Paeoniaque manu lectus data pocula crebra
Infecit miſtus, ſpeque aegros luſit inani.

Non dubiis autem vim diram, inſtanſque periclum
Noſcere fas ſignis. Vomitus nimis acer, & una
Se ſolvens alvus; lingua arida, ſcabraque; rauca
Vox, aut ſtridenti ſimilis; cava lumina; triſtes
Singultus; ſtomachi gravis angor; fronſque madeſcens
Sudore exiguo; ſitis ardor, & haud ſibi conſtans
Sermo; dolor capitis; ſopor altus; frigida pellis;
Nulla mora, ac requies; feſſi artus; pectus anhelum;
Ceteraque, haud noſtro quae fas attingere verſu,
Quaeque ſilere jubent alto de vertice Muſae,
Indicio fuerint: nec fallent cuncta moventem
Secum animo, trepidumque aegrum relevare parantem.

Quibus notis eae dignoſcantur.

O felix operum, fortunatuſque laborum,
Quos tot tamque graves terraque, marique tuliſti,

Nate Diis Heros [29] vada caeca, alioque ſub axe
Bacchantes undas, ſyrteſque, ignotaque ſaxa
Auſus tentare, & nova regna inquirere primus;
Semper honos, nomenque tuum, dum ſe induat arbos
Floribus, ac foliis, maneant, dum ſidera caelo,
Quum nox appetiit, niteantque, errentque ſereno.
Parta tuis etenim certa eſt ingentibus auſis
Spes hominum generi, tractuſque, adituſque recluſus,
Surgit ubi his monſtris pellendis utile lignum,
Exuviiſque potens revocare a limine lethi;
Quodque orbe in noto ſollers induſtria fruſtra
Quaereret auxilium, ignota ex regione petitum,
Suffectumque fuit divino munere tandem.

Ne rencant ergo ah! miſeri in diſcrimine tanto
Languentes aegri Libro medicata potenti
Pocula juſſa ſtatim haurire: hinc ſibi namque petenda,
Non aliunde ſalus: hoc ſtat medicamiue in uno
Spes omnis, ſi vera ferunt, quos Delius artes
Ipſe ſuas docuit, vireſque, uſumque medendi.

29 *Chriſtophorus Columbus* Ligur, nauticae artis conſultiſſimus. Originem duxiſſe fertur a *Columborum* Gente, ob generis antiquitatem ſpectatiſſima in Montisferrati caſtro vulgo *Cucari*. Natus eſt autem an. 1442, & an. 1492 novum orbem, paullo poſt ab Americo Veſpuccio Americam dictum, feliciſſime audax, & in propoſito firmiſſimus detexit. V. ejus vitam a *Ferdinando Columbo* ipſius filio ſcriptam.

Digitized by Google

Hoc compeſcendum, morbi quod ſemen in ipſis
Viſceribus clauſum furit, exitiabile virus
(Fermentum dixere patres), quodque, impete facto,
Frigoris horrorem nunc membris, nunc ciet aeſtum,
Vimque ſuam exercet certo poſt tempore bacchans
In caput, in nervos, in venas, corpus in omne,
Oſſaque pertentat, mentemque irrumpit in ipſam.
Ni fraenes magis uſque ferox, & viribus ingens
Quippe ſuis latebris, velut hoſtis victor ab arce,
Erumpat, trepidoſque ciens, ſaevoſque tumultus
Exitium tandem ferat aegro, ac funus acerbum.

Verum, ubi crudeli ſuperata denique morbi
Vi, ſuperis grates, ſuperûmque hominumque Parenti
Jam ſolves merito, & tibi pallor fugerit ore,
Ne ſubito ah! magni oblitus, dirique pericli [30]
Abjicias, quae cura tibi impendenda ſalutis.
Namque, ut non raro, caſtris qui pulſus, & armis
Exutus fugit, tutum ſi forte, nec hoſti
Suſpectum effugium trepidans in montibus altis
Sit nactus, redit inde ferox, animoque recepto
Victori extorquet ſua jam ſibi rapta tropaea,
Attonitumque metu exturbat, ſpoliatve jacentem;

30 Si febris quievit, diu meminiſſe ejus diei convenit, eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, laſſitudinem: facile enim revertitur, niſi a ſano quoque aliquandiu timetur. *Celſus* lib. 3 cap. 16.

Sic domitus tandem, quem tertia, quartave nuper
Febris fugata facile reverti poteſt.
Lux accendebat, febris aeſtus ſaepe reſaevit,
Robore collecto, atque iterat ſua praelia prima. [31]
Ergo animo curas in primis pellere edaces
Quid cavendum, ne revertatur.
Feſtina (nihil his gravius, medica arte magiſtra,
Officit); & quidquid placidos abrumpere ſomnos
Sollicitans poſſit, rapidis trade illico ventis.
Nec minus a menſa, ratio quae damnat & uſus,
Omnia ſit ſtudium prohibere, ac vivere parvo.
Parce memor dapibus, ſi quas vix denique crudas
Viribus ipſe ſuis demittat ferre recuſans
Infirmus ſtomachus, vel ſi velut eſca ſub ipſis
Accedant venis igni, vetereſque tumultus
Forte queant tandem, & veteres renovare timores.
Nec minus a dubiis, qua ſint eumque arte paratae,
Abſtineas, ſi cara ſalus. Metuiſſe juvabit
Vel vana interdum, ne vera pericula laedant.
Aëris hinc caveas vi nota maneque ſummo,
Et quum jam currum parat aequore tingere Phoebus.
Frigidus inſinuat tunc ſe ſe in membra, ſuoque
Heu ſaepe incurſu nova in ipſis praelia miſcet.
Praeterea & caelum, ſub quo tua tempora ducis,

31 Vide quae ad Traſybulum ſcribit in hanc rem *Galenus*; & *Geoffroy* art. de Cortice Peruv. ſup. cit.

Digitized by Google

Spectandum eſt animo. Procul o! ſi garrula ranae
Turba ſuam recinant, quam longa eſt, nocte querelam
Stagnis exſtantes, quae late plurima, & ulva
Obſita liveſcant, nebulaſque, gravemque mephitim
Exhalent, mora nulla, fuge, ac te ſubtrahe fato.
Non ne vides, quae forma viris, ubi ducitur iſtis
Incumbens arvis, pratiſque humentibus aër?
Qui notat ora color; qui pallor corpore toto;
Qui tumor, ac torpor, praeſertim ubi praeterit aeſtas,
Areſcuntque udae medio fervore paludes?
Ne me, ne tali ſub caelo condere ſoles
Hortetur quiſquam, vel amici, opibuſque potentis
Hoſpitis invitent luxu decorata ſuperbo
Alta domus, nitidique horti, campique patentes.
Teſqua mihi potius, quaeque haud cum foenore ſemen
Commiſſum reddat raſtris exercita tellus,
Vel juga clivorum placeant, valleſve reductae.
Nec minus interdum, licet haud indicia morbus
Det certa, atque vices ſervet medica arte notandas,
Proderit externo medicina e littore miſſa.
At varias omnes opus eſt cognoſcere formas,
Quas ſolet, ut Proteus mutato corpore, febris
Induere, ut fallat medicoſque, aegroſque, ſuumque
Viſceribus fundat non expugnata venenum.
Ergo age: ſi, quae te primum tentavit, & anxit

In feb. initio tantum intermittentes num proſit?

Morbida vis certo poſt tempore deſiit., atque
Defervens penitus, minimo licet intervallo,
Exceſſit calor, & penetrans oſſa omnia frigus,
Ne dubita (quamvis tibi poſt noctuque diuque
Nulla quies detur, quamvis ſuperaddita cauſſa
Multa novi morbi, adgrediens ſtomachumve, caputve,
Aut latera, aut renes, det ſigna) ſalubribus uti
Arboris externae exuviis, bellumque movere.
Prima mali labes tunc ſcilicet ante medenti [32]
Spectanda eſt animo; dein quos ciet ipſa tumultus:
Hique, illa edomita, vel cedent ſponte, vel aptis
Acti armis ſaltem miteſcere denique diſcent.
Quid vero ſit opus Libro immiſcere ſalubri, [33]
Qui ſe cumque novus, febri bacchante, per artus
Inſinuet morbus, pectuſque, & viſcera tentet,
Ut dum praecipui vis ſaeva, atque acre venenum.

32 Febres intermittentes, & quaecumque ab initio tales fuere, necdum omnino a ſua natura deſciverunt, ſunt verum objectum actionis Corticis Peruv. *Torti* lib. 1 cap. 2.

33 Quum ſaepe febris intermittentis genius ſit Proteiformis . . . & haud raro pleroſque alios morbos, eoſque acutiſſimos ſimulare ſoleat, licet Cortex Peruvianus ſit primum, & fere unicum remedium, ad quod velut ad ſacram anchoram confugiendum ſit, tamen atrocia ſymptomata, quibus febris ſtipatur, vel etiam ſaepe abſconditur, & opprimitur, quaedam alia remedia propria cum Cortice Peruviano conſocianda indicant; qualia ſunt cephalica, narcotica, ſtomachica &c. *Geoffr.* ut ſup.

Impe-

Impetitur, telo comes oppugnetur eodem;
Anve prius praeſtet ſalientem incidere venam, [34]
Auxiliiſve aliis diri vi occurrere fati,
Inclyta multorum ingenii monumenta docebunt.
Nec ſi, vix primo deferveſcente calore,
Quem febris crudele furens ſuccendit in imis
Viſceribus ſubito novus ingruat, atque per oſſa
Effundat ſe ſe, vixque intervalla notentur,
Tam celebri a Libro optatum, praeſenſque levamen
Deſpera: nec ſi vel *lenta*, vel *algida* dicta
Te vis inceſſat; nec ſi *lethargica*; quamque
Cardiacam appellant; quaeque eſt a bile vocata,
Et cui cognomen vulgo eſt mala ab indole factum:
Seu latera invadens dolor acer torqueat, & jam
Te quatiat tuſſis, quodque ejicis ore rubeſcat
Sanguine ſuffuſo; modo ſaeva ſubinde remittat
Se febris, atque vices dolor una ſervet eaſdem.
Lurida quin etiam ſi cui Gangraena, voraxque
Sanguine defectos puro, vel frigore toſtos,
Aut alia, quam non tempus nunc dicere cauſſa, [35]
Tabe ſua vitiat, vel jam depaſcitur artus,
Hinc petet haud fruſtra auxilium, lethumque minanti

In *ſubintrantes* aliaſque multas.

In pleuritidem.

In Gangraenam.

34 V. *Torti* lib. 1 cap 9.
35 V. *Boerhaavium* de Gangr. §. 422, & *Vanſwieten* Comment.

Digitized by Google

Injiciet peſti, qua non ſe triſtior ulla
Extulit e ſtygiis undis, niſi ſera paretur
Dia medela malo, miſer aeger denique fraenum,
Aut etiam domitam expellet. [36] Jamque omnia ſigna,
Gangraenae ſigna. Queis patet invadens, dum nondum carpit, editque
Quidquid corripuit miteſcere neſcia, diſce.
Pallida principio, qua vis latet effera morbi,
Pellis erit; mox exercens prurigine ſaeva,
Et papulis ungues liveſcet, & induet atrum
Denique, jam penitus vitiata carne, colorem;
Diffluet hinc tetro pars aegra liquore fatiſcens,
Atque gravem late ſpirabit putror odorem. [37]
Praeterea & vires languebunt: ora notabit
Informis pallor; dolor ingens oſſibus imis
Saeviet, atque gravi mens fracta aegrore jacebit;
Deficietque animus media inter verba timentem
Nil tale aegrotum ſaepe, & fera fata querentem.
Sed quid ego invito genera omnia claudere verſu
Contendo, immenſumque ineo nauta inſcius aequor?

36 Relatum legimus in *Acta Medic. Edenb.* tom. 2, 3, & 4 Corticem Peruvianum in Gangraenis, & Sphacelis a cauſſa tum interna, tum externa ortis, a Medicis atque Chirurgis peritis adhibitum mira praeſtitiſſe, & aegros penitus deſperatos, aliis remediis fruſtra tentatis, priſtinae ſaluti reſtituiſſe. *Geoff.* art. ſup. cit.

37 V. *Boer.* §. 427.

Digitized by Google

Te doceant alii, quo nomine quemque vocari [38]
Conveniat morbum, quem contra ſufficit arma
Loxa ſuas patiens nudari Cortice ſilvas:
Idque ſit a noſtra tibi ſat didiciſſe Camoena,
Quae ſit cumque aetas, quaecumque in corpore vires;
Qui ſit cumque habitus, vel ſexus, poſſe ſalubri [39]
Pulvere febrem omnem, modo prima ab origine ſaltem
Deſierit furere, aut aliquas ſervare furendo
Viſa vices fuerit redienſque, abienſque, domari.

Ergo, ubi te Chiron, morbique indicia certa
Pharmaco ab externo praeſens ſperare levamen
Hortentur, ne necte moras: cito praecipe amari
Pulveris afferri tibi pondera juſſa. Sed ante
Diſce modos omnes, quibus ima in viſcera fundi
Conveniat magis, aut minui videatur amaror.

Quot modis ſumi Cortex poſſit.

Sunt, quibus aut undas puro de flumine ſumtas,

38 V. apud clariſſimum, & jam ſaepe laudatum *Torti* arboris imaginem ab eo effictam, ejuſque ramis inſcripta lege nomina omnia febrium, quae Cortice ſaluberrimo curari poſſunt, earumque ſimul, adverſus quas aut nihil omnino, aut parum admodùm ipſe prodeſt.

39 Ergo Cortex Peruvianus antidotus febrilis merito dicitur; quippe qui ad omnes febres intermittentes, remittentes continuas, ſeu continentes, in omni ſexu, & aetate, in infantibus, pueris, adultis, & ſenibus, in virginibus, mulieribus gravidis, & puerperis tutiſſime, & prorſus innoxie exhiberi poſſit. *Geoffr.* ut ſup.

Digitized by Google

Aut vinum miſcere placet (communior iſte [40]
Vino aut aqua ſuffuſa.
Eſt uſus, vinoque genus ſpectatur in ipſo,
Non color) ac liquidum e patera, & bis terque ſubactum
Haurire. At lectas patriis in montibus herbas
Infundunt alii prius unda, ac parvulo aheno
Supponunt ignem: ſic namque potentia Libri
Decocta miſtus.
Acquirit vires, penetratque ad viſcera major.
Haec etiam eſt ratio vulgata, & jure probatur.
Quod ſatis eſt lecti ſumunt de pixide Libri,
Piſtilloque terunt, ſed non ut pollen ad auras
Attollat ſe ſe; tum fragmina tunſa recenti,
Exiguaque olla imponunt, lymphamque tepentem
Invergunt: ollam coopertam rite caminus
Diu maceratus.
Excipit, ac tenuis circum, lentuſque paratur,
Servaturque ignis, donec luſtraverit orbem
Sol totum exoriens, & laverit aequore currum.
Tunc autem prunas ad tres, non amplius, horas
Subjiciunt, arctoque vapor compeſcitur omnis:
Hancque deinde aeger, poſtquam deferbuit, undam
Certa per intervalla haurit, dum denique victa
Vis ceſſit morbi, redeuntque in priſtina vires.

40 Nec intereſt album ne vinum ſit, an rubellum; auſterum, an dulce. *Torti* lib. 1 cap. 7.

Digitized by Google

Proderit & radix fluvii de nomine dicta [41]
Barbarico ſermone patrum *Rhabarbarum*. At uſus
Hic eſto. Merſetur aqua ſemuncia pura,
Ollulaque ante ignem, ſed non prope, ſolis ab ortu
Noctis ad acceſſum tepeat: dein praecipe flammis
Praecingi, ut caleat, ſed non exaeſtuet humor;
(Ebullire vetant medici) geminumque liquorem;
Quoque Liber maduit, quoque extera, amaraque radix,
Mox eadem patera e panno, linnove fluentem
Excipiat; juſſoque libens tu tempore totum
Ebibe, vel partem, & ſuperos venerare ſecundos.

Cum Rhabarbaro.

At ſi forte tuus medicata haec pocula guſtus
Abnuat, aut ſtomacho gravia, & male tuta putaris,
Haec tibi ſit potior ratio. Bene trita recenter
Spargatur Cortex, maſſam ut coaleſcat in unam,
Nectareo ſucco bis, terve, ac rite ſubactam
Digere ter quinas in partes; lanxque parata
Digeſtam excipiat: panis mox bractea candens

In bolos digeſtus.

41 Conſiderandoſi il potente uſo di queſta droga (Rabarbaro) è maraviglia, che ſi ſappia sì poco del luogo, in cui creſce la pianta, che lo produce. Alcuni dicono, che viene dal Regno di *Boutan* nell' eſtremità dell' India . . . . Altri vogliono, che creſca ſolo in Perſia, ed altri ai confini di Moſcovia, derivando il ſuo nome, come affermano, da *Rha* il fiume da Noi chiamato *Volga*, e da *Barbarum*, cioè radice trovata da' Barbari ſul fiume Rha, *Chiamb.*

Involvat, parvoſque tegat circum undique bolos;
Hoſque nitens cochlear ventrem demittat ad imum.
Sic ori haud aſper tendet ſub viſcera pulvis;
Nec te vel decies, ſaevi ſi forte reſiſtat
Vis morbi his armis bellum inſtaurare pigebit.

In Catapotia.

Huic non abſimilem priſci reperere magiſtri
Et docuere modum. Trito de Cortice maſſam,
Multis admiſtis, quae non memorare neceſſe,
Iligna in tabula haud magna juſſere parari:
Mox cultro exiguos conflari, ac dividi in orbes,
Hoſque vel ad ſolem, quum laetior aequore ſurgit,
Igne vel admoto, ſiccari. Nomine dicunt
Grajugenûm noſtri Catapotia; granaque odori
Tu piperis forſan, moles ſi ſola, colorve
Spectetur, dicas, vel, quos exercita tellus
Fert paſſim, nigros pellemque, oculumque faſelos.

Clyſteribus injectus.

Nec ſileam, vomitu quum rejicit omnia crebro
Infirmus ſtomachus, vel quum gravis occupat artus,
Lethaliſque ſopor, vel mens non ſat ſibi conſtat,[42]
Tradita, quae patribus via ſit, tentataque ſaepe.
Sumere quem renuit, vel non valet aeger, in alvum

42 V. *Hadriani Helvetii* libellum hanc methodum commendantis; & *Torti* lib. 5 cap. 6, ubi haec *Sbaraleae* verba refert: qui non tolerant in ſtomacho hunc pulverem, ad unciam unam in clyſteribus utiliter recipiunt.

Tunc bene tritus, aqua & miſtus purave, vel herbis
Incoctis ſatura injicitur Liber impete noto.

Multis praeterea mos eſt & frangere morſu,
Et fractum verſare ore, infirmoque medentur
Sic ſtomacho & capiti; ſic pellunt oris odorem;
Sicque cibi haud fruſtra faſtidia vincere tendunt.
Quin & compeſcunt, quae ſe vis effera ab imis
Viſceribus non raro effert, (dixere vaporem
Permulti) varioſque ciet, ſaevoſque tumultus:
Nuncque petit cerebrum (mentique offunditur atra
Caligo atque oculis), & nunc praecordia circum
Graſſatur, tetraque furens cor occupat umbra;
Jamque hepar torquet, jamque ilia, jamque lienem.

Dentibus tritus.

At ſi, vividior quae pars, quaeque optima dii
Corticis a craſſa libeat ſecernere, & uſus
Ad varios ſervare tibi, ſervare propinquis,
Accipe qua poſſis facili tentantibus arte.
Quod ſatis eſſe putes, recolens ſigna omnia tecum,
Selige: dein teſta exceptum, vel parvulo aheno,
Quem vino elicuit mage purum flamma, liquore
Perfunde uſque adeo, pondus dum Corticis aequet
Bis ter: ſexque dies hunc maceret ille rotatu
Verſatum crebro, quo vim ſic extrahat omnem.
Mox alium (primo, quum jam flaveſcere coepit,
In vas defuſo) laticem ſuperadde recentem,

Diſtillando deſiccatus.

Nec minus expurgatum igni; totidemque diebus,
Rurſus, ut ante, agitans, ferro lignove, remiſce:
Quodque, hoc amoto, demum ſuperabit in imo
Non liquidum fundo, manibus preme ſedulus albo
Suſceptum lino, aut panno; ſuccumque fluentem
Diluto gemino immiſce, quem denique totum
Percoles ſimul, atque cucurbita [43] ſtamnea, latum
Demiſſa in ventrem (ſic vulgus nomine dicit
Vas notum) accipiat. Stamno verſatile tegmen,
Unde tubus ſe ſe modice protendat aduncus,
Adnectas, cucumaque dein ſatis amplo in aheno
Aptata, ore tenus ſuffuſam miſceat undam
Suppoſitus, lentuſque ignis: jamque illico cernes
Obliquo e tubulo guttatim effundere ſe ſe
Incluſum laticem, atque leves vaneſcere in auras.
Aſt ubi perrarae manabunt denique guttae,
Nec referent primum, lingua tentante, ſaporem
Jam vapidae, ac fumus quoque tenuior ipſe notanda
Signa dabit, totum in pelvim, nitidumve triental
Quod ſupereſt funde: hic ſubito ſpiſſeſcere cernes,
Ejus extractum. Dum calor abſcedet, reſinamque referre colore,

43 Sic dictum vas ferunt a forma ventricoſa, qua cucurbitam refert. Utuntur autem Pharmacopolae potiſſimum ad excernendam, eliciendamque e liquoribus eam partem ſubtiliorem, ac puriſſimam, quam ipſi *Spiritum* vocant.

Quam

Quam terebra eruerit terebinthi e ſtipite pingui.
Hoc febrim invadas, ſi quae pugnacius arti
Obſtiterit medicae; nec ſpe luderis inani.
Ultima dein cura hoc ipſum ſiccare, vel igni
Saepius admotum, vel ſole tepente, vel Euri *Magiſterium.*
Flamine, quum frondes ſine murmure commovet alis;
Mox terere. Attrito ſubitis in caſibus uti,
Praecipitare moras quum ſumma pericula ſuadent,
Aut pueros aegros, ſuffuſo dulci, & eois
Quod fabulis toſtis nigreſcat, nectare falli,
Errore ut capti laetentur denique, morbo
Depulſo, & vires capiant, docuere medentes.
Verum ubi ſe nullis febris diſcriminat, ultro **In feb. continuis num adhibendus.**
Decedens, ſpatiis, unoque tenore per artus
Semper agit ſe ſe, aut ſubitis acceſſibus inſtans
Uſque magis ſaevit, rabiemque recolligit omnem,
Ne fruſtra cyathos peregrino Cortice miſce.
Officient potius, ſi vera eſt fama, nec ullum
Praebebunt aegro, aut poterunt praebere levamen.
At ſunt haud pauci, quibus haec ſententia menti [44]

44 In continuis quoque prodeſſe (Corticem) monſtrat item experientia. *Badus* lib. 1 cap. 20. Conſule ſis alios, quibus haec doctrina merito non adridet, atque ab ipſis diſce, utrum revera in continuis aliquando prodeſſe poſſit; & quibus in continuis? In iis ſcilicet, quae vel *intermittentes*, ut inquit *Torti* (lib. 3 cap. 1) *ab ortu ſint, vel intermittentibus analogae*; quas ipſe *vere continuas* vocat.

Stat, non parcendum dio medicamini in arctis
Rebus, ubi aſſidue quae torquet febris, & angit,
Indomitaſque ſuas male firmo in corpore vires
Exercet, medicis ſat clara indicia nulla
Praebuit unde ipſi Peruana ad pocula laeti
Confugiant, jubeantque aegros ſperare ſalutem.

Ante tamen, morbi num cauſſam, ut ſaepe ſit, idem
Praebuerit multis, quo circumfundimur, aër;
Quique vel infectus, vel purus permeat omnes
Corporeos artus fluitans, ſecumque ſub ipſos
Saepe ſuum vitium, ac virus, ſi morbidus, infert,
Explorare jubent, & quid Boreaſve, Notuſve
Peccarint, reputare animo, caelumque, viceſque
Temporis inſuetas, inſuetaque frigora, & aeſtus:
Si forte hinc ortus non ſe ſe prodat aperte,
Corticeque haud nequeat reſtingui lethifer ardor.

Hinc etiam haud raro dia eſt tentata medela
Quum premerent aliae, ſtygiis quae plurimae ab undis
Erumpunt, peſtes aegrum, licet arte magiſtra,
Paeonioque uſu vix utilis ipſa, vel apta
Eſſe putaretur (quis enim tentare recuſet
Pro vita quidquam?) & tentamina multa ſecunda
Fama refert, dum magna canit miracula, totum [45]

[45] V. *Torti* lib. 5 cap. 5

Digitized by Google

Queis merito arrexit Cortex celeberrimus orbem,
Ereptoſque homines letho, morboſque recenſet
Viribus arcanis, quum ſpes prope nulla, fugatos.
Nec, quum vi morbi ceſſit medicina, ſuoque
Uſa eſt arbitrio, precibus quae neſcia flecti
Vel lacrymas temnit, ſit prorſus inutilis almi,
Quem canimus, Libri miranda, atque inclyta virtus.
Tunc aloë, & nardo admiſtus, myrrhaque liquenti,
Et, qui Panchaeo deſudat Cortice, odore
Frigida perfundit, dum dona ſuprema parantur,
Corpora magnanimûm heroum, ac putredine foeda
Vindicat, & longum ſubducta tuetur in aevum.

Ad condiendos mortuos balſamo admiſcetur.

Cur autem heu! veterem morem hunc, uſuque probatam
Vim longo, memini, atque altum ſic vulnus acerbo?
Scilicet in mentem redit hinc triſtiſſima imago
Funeſtae illius, qua nos mors effera Patre
Orbavit, luctuque aulam replevit, & omnes
Late urbes, noctis; Regum qua ſplendor, & inſtar
Conſilioque ingens, pietate ingentior, armis
Maximus, & factis plectroque tubaque canendis
Inclytus, Italiaeque olim columenque decuſque,
CAROLUS (heu pietas!) fato conceſſit, & orbes [46]

De morte CAR. EM. III Sard. R.

46 Obiit prima poſt mediam noctem hora, quam noctem excepit dies 20 feb. an. 1773.

Sidereos ſcandens, patrioque adſcriptus olympo
Regnum ipſe ſuum claris virtutibus auctum
AEterno, ac ſtabili mutavit corpore liber.
Quis non tunc lacrymis, & quum referebat ab undis
Triſtis & ipſe diem, & quum decedebat olympo
AEquora ſol repetens, indulſit? Quaeve dolendi
Juſtior hac cauſſa fuit unquam? Vidimus ipſum
Eridanum, Nymphaſque omnes, colleſque propinquos
Cum populo, & Patribus flentes, & queſtibus auras
Implentes late; nec qui detergere ſolus
Communem luctum, & dulci diſpellere vultu
Squalentes tenebras poterat, digniſſima tanto
Progenies Patre, atque aevi nova gloria, Victor
Prodibat tectis, ubi triſtior omnibus unus
Conjuge cum clara, Natiſque, & Fratre dolorem
Explebat lacrymis ſummum, lapſumque ſub oſſa.
O noctem infauſtam! moeſtae date ſerta cupreſſus,
Liliaque, & violas cuncti juveneſque, ſeneſque
Quicumque, ad tumulum extinctum lugebitis olim
Tam celebrem factis, tam dignum laude Parentem.
At Nato interea, qui non pietate ſecundus
Ingentem famam & reliquis virtutibus aequat,
Viribus ingenii qui maximus omnia praeſtat
Jam nunc, quae populum & facere, & ſervare beatum
Evaleant: quo jampridem ſe, debito amore

Digitized by Google

Nobiſcum certans, tellus late Itala cuncta
Uſque adeo jactat, quibus eſt digniſſimus, annos
Orate aſſidui: nam ſic orabitis una
Et decus aeternum Regno, & felicia vobis,
Et qui naſcentur poſthac data tempora vitae.

Sed jam quis primus (revocat namque ultima coepti
Nos pars) Libri uſum claris, ubi carpitur ipſe,
Feliceſque amicit truncos, invexerit oris;
Utque deinde alibi celebre inclareſcere nomen
Coeperit, & merito, precibuſque opibuſque parari
Hic tandem expediam, primaque ab origine pandam.

At primum mirerne magis, ſubito iſſe per omnes
Late urbes famam novo ab orbe, & ab aequore quondam
Navibus intacto; an potius potuiſſe latere
Tempore tam longo, quae nunc vulgata canuntur,
Et queis nil melius fert tellus, inclyta dona?
Nempe ſuas gaudet ſollers natura, potenſque
Promere opes, quum fata ſinunt, nimiumque per aevum
Clauſa premi moeret vitae adjumenta parata.
Sic teneris genitrix, ubi turgent ubera lacte
Immulgere cupit labris, natumque requirit,
Suſpiratque abſens, avidiſque amplectitur ulnis,
Dum fovet in gremio, vitaeque alimenta miniſtrat.
Illa feras docuit, quae plantis inſita, & herbis

Sit vis. Illa canes ſibi noto gramine paſſim
Vincere, quae tribuit lunae faſtidia vulgus,
Et relevare alvum docuit: didicere venenum
Ipſius admonitu ruta ſuperare potenti
Muſtelae, ac ſaevos anguis contemnere morſus;
Edidicitque herba, grajo quae nomine ab ipſa [47]
Dicta fuit pullis in nido reddere viſum
Ipſa ſuis, hebeteſque oculos detergere hirundo.
Dictus & ipſe leo Peruae ſub montibus altis [48]
Leones primum Cortice uſi.
Dentibus arrepti, vaſtos quum febris in artus
Saeviret, dii vires tentaſſe latentes
Corticis, & primus, natura agitante, levamen
Saevi ſic morbi natiſque, ſibique paraſſe.
Hinc homines ipſi rerum quoque quaerere cauſſas
Edocti, atque uſus medicam tandem extudit artem.

47 Chelidonia, latine hirundinaria, ſic appellata ab hirundine, quae a Graecis χελιδὼν dicitur. Eam florere ajunt adventu hirundinum, diſceſſu marceſſere, hacque huiuſmodi volucres uti ad medendum pullorum oculis in nido. V. *Plinium* lib. 8 Nat. hiſt. cap. 27.

48 Selon une ancienne tradition, dont je ne garantis pas la vérité, les Americains dûrent la decouverte de ce remède aux lions, que quelques Naturaliſtes prêtendent être ſujets à une eſpêce de fiévre intermittente. On dit que les gens du pays ayant remarqué, que ſes animaux mangeoient l'écorce du *Quinquina* en uſerent dans les fiévres d'accès aſſés commune dans cette contrée, & reconnurent ſa vertu ſalutaire. *De la Condamine.* (Hiſt. de l'Académie Royale des Sciences, an. 1738.)

Sed me fatorum ſcrutari arcana, modumque
Muſa vetat, ſatque eſſe docet mihi nota referre.
Ergo, aliis miſſis, moniti quae coepta ſequamur.
 Tempus erat, victis quum jam fervoribus aeſtas
Cedit, & oſtentat ſua mitia poma per agros
Autumnus pater, ac rubrum trahit uva colorem:
Utque alibi (heu quoties!) ubi craſſus ducitur aër,
Et nebulae paſſim ſurgunt humentibus arvis;
Sic Peruae ignotis tam longo tempore in oris [49]
Stagnanteſque undas circum, vicinaque tecta,
Perque imas valles errabat funera ſecum,
Et maciem adducens, aeſtuſque, & frigora dira
Peſtis acerba hominum febris. Correpta gemebat
Plurima turba ſimul paſſim juvenumque ſenumque.
Quos inter nemorum cultrix pulcherrima forma
Deliciaeque, & amor juvenis, cui nupta puella
Nuper erat, loxae non longe a moenibus altis
(Nomine eam Phillin, Proclum dixere maritum)
Paupere ſub tecto languebat. Pallor in ore
Plurimus, atque oculos circum paullo ante nitentes
Lurida livedo inſedit: jam dentibus ipſis,

Quomodo hominibus innotuerit. Fab.

49 Eratque morbus ejus tertiana febris; quae febris in ea regione (in Peruvia) ne dum inquilina eſt, ſed immitis, & periculi plena. Ex *Bado* lib. 1 cap. 2.

Digitized by Google

Queis nil candidius, labiiſque arentibus atra
Coeperat illuvies ſpargi; & vix pectore ab imo
Tollebat voces: nec ſi contraxerat artus
Cuncta per oſſa fluens frigus penetrabile; nec ſi
Mutua vis aeſtus torquebat, triſtibus implens
Queſtibus anguſtum tectum, & ſingultibus auras
Quemquam alium poſcebat opem noctuve diuve,
Quam ſibi dilectum, compellans nomine Proclum.
Tandem hic & fletu miſerae commotus acerbo,
Atque dolore amens, quum jam tollebat ab undis
Aequoreis vultum Aurora, & nitida aſtra fugabat,
Proripit e tecto ſe ſe; certuſque vel ullam
Qualemcumque domum uxori deferre ſalutis
Spem tandem, aut ultro jam inviſam abrumpere vitam.
Vicinam ingreditur, monti quae ſubjacet alto,
Arboribuſque nigrat denſis circum undique, ſilvam.
Fons rigat hanc antri manans de faucibus imis
Limpidus ac multus; nymphaſque ibi, numina nota
Relligione patrum, fama eſt habitare, ſuamque
Haud procul hinc ſedem poſuiſſe, ubi pervia nulli
Mortali eſt ſilva, & magis horret frondibus atris.
Jamque gravi moerore ſui vix compos ad antrum
Conſtiterat Proclus; lacrymis quum denique obortis
Crudeleſque Deos coepit, crudeliaque aſtra
Dicere, & uxoris ſortem lugere ſuamque. . . .

Nam

Nam cur, ajebat, Soli [50], qui lumine luſtrat
Omnia vitali, & terras qui numine torquet;
Cur Lunae, atque aliis, quorum vix nomina nota,
Munera deferimus, turiſque adolemus honores?
En quae cura ipſis, fatis dum urgemur iniquis,
Eſt noſtri, utque illos horrenda pericula tangunt.
Vana tulit ventus mea plurima vota, preceſque;
Et gemit interea vita mihi carior ipſa
Uſque magis languens mea Phillis; vixque diurnae
Spes remanet vitae primo ſub flore juventae.
At vos o ſaltem, quaecumque habitatis opacum
Hunc lucum, Nymphae (nam certe habitatis, & iſtos
Audiſtis queſtus) noſtri miſereſcite, quaeſo,
Atque trucis faciles revocate a limine mortis
Aegrotamque ſimul, certumque extrema ſequendi
Fata ſuae uxoris (teſtor vos aſtra) maritum.
Audiit haec, Dryades inter quae carior omnes
Phoebo erat, atque artes multas, uſumque medendi
Edocta, Ammerie, fontem quae forte petebat,

50 Le principal temple du Soleil, qui étoit le Dieu des Peruviens, & le palais des Incas à Cuſco étoient d'une ſtructure admirable .... Auprès de ce principal temple il y en avoit quatre autres, dont le premier étoit dedié à la Lune, come ſoeur, & femme du Soleil. Ils ſe appelloient *Quilla* ... Le ſeconde étoit conſacré à l'étoille de Venus, qu'ils nommoient *Chaſca*. *Morer.* V. *Laëtium* (hiſt. de nouveau monde.)

Ut mos mane novo: precibuſque, atque ubere fletu
Commota his Proclum adgreditur placidiſſima dictis:
Parce metu, & lacrymis, juvenis dilecte, bonoque
Sis animo; tua namque uxor cito libera morbo,
Si quid ego poſſum, longum tecum exiget aevum.
Dein ſic, auditis, quas febris anhela ſub oſſa
Succedens aegrae trepidique algoris, & aeſtus
Attulerat, vicibus, reputans ſecum omnia mente,
Proſequitur: morbi haud procul hinc non nota medela,
Certa tamen, nec ego fallor, jam tempore longo
Ultro offert ſe ſe ſpectantibus. I; pete apricum,
Quem cernis montem; quaeque illic plurima frondet
Arbos in medio, ſummoque cacumine ſubter,
Illius e trunco nigrantem deripe Librum,
Huncque domum allatum tere ſaxo; moxque repente
Immiſſus cyatho claro de flumine ſumtam [51]
Tingat aquam affuſam, medicataque lympha potenti
Vi, mihi ſat nota, languentis proluat ora
Conjugis, & ſubitum hinc ſpera, certumque levamen.
Omnis enim languor, mihi crede, & corpore pallor
Paullatim abſcedet, vireſque in priſtina tandem,

51 Les Naturels du pays ont long-temps caché ce ſpécifique aux Eſpagnols . . . Quant à leur manière d'en faire uſage, on dit qu'ils faiſoient infuſer dans l'eau, pendant un jour, l'écorce broyée, & donnoient la liqueur à boire au malade ſans le marc. *De la Condamine.*

Depulſo morbo, & fronti ſua forma redibunt.
Sed cave, ne fallat ſilva te copia in illa.
Arboris haec ſpecies: haud ingens truncus; at altus:
Rami non multi, ſummoque a ſtipite cuncti
Non late extendunt ſe ſe, ſed ad aethera tendunt:
Prunum autem referunt foliorum forma, colorque.
Certius at ſignum Libri eſt, quem protinus ori
Admoveas jubeo, vim praeſenſurus, amaror.
Hinc leo, cui ſoli nota eſt ligno inſita virtus,
Saepe petit, vaſtos quum febris concutit artus,
Solamen ſaevo, qui permeat oſſa, furenſque
Mitigat indomitas vireſque, iraſque, dolori.
Vade age; quumque metum tibi mira potentia Libri
Depulerit cunctum, jam ſoſpite conjuge, quumque
Non fruſtra his noſtris quaeſitum in ſedibus eſſe
Auxilium cernes, Soli, qui numine torquet
Cuncta ſuo, & terris dat fruges edere, & herbas
Tam varias, homini, brutiſque alimenta miniſtrans;
Quemque incuſabas modo tu dicta impia fundens,
Tum grates perſolve memor Lunamque ſororem,
Atque meum numen caeſa venerare bidente.
Dixerat Ammerie; ſilvamque receſſit in altam.
At Proclus magno vicini ad culmina montis
Contendit ſtudio; truncoſque, & cetera ſigna
Veſtigans oculis, ſuperato denique clivo,

Digitized by Google

Adgreditur ferro primam, quae ſtipite celſo
Viſa ſibi, atque ipſis foliis ſpectabilis arbos.
Non adeo cupide ſalices, cytiſumve capella
Carpit, ubi ad paſtum e ſeptis duce prodiit hirco;
Dentibus ut Proclus dereptum ſtipite Librum
Arripuit tentans, & certa indicia quaerens.
Quem ſimul ac labiis admotum ſenſit amarum
Protinus ingeminans ferro ictus, ſorteque laetus
Ipſe ſua ſpoliis nudavit ſtans pede in uno
Arboris extremam, terrae quae proxima, partem;
Delapſuſque citus ſua per veſtigia monte
Faſce domum repetit gaudens, aegramque reviſit
Uxorem ſolitis implentem queſtibus auras.
Quam ſimul adſpexit nunc, o mea Philli, levamen
Spera: nunc vires tibi reddi, oriſque decorem,
Quem fleſti amiſſum. Morbi tibi certa parata
Eſt medicina tui; nec Sol, niſi Numina fallunt,
Ante diem revehet, quam tu ſis ſoſpes, & omnis
Artubus excedat, totoque e corpore languor.
Dein promiſſa refert Nymphae, & dulciſſima verba;
Contuſumque Librum interea patera excipit, unda
Protinus affuſa, & medicamen denique conjux,
Multa prius renuens, ſtimulata hortatibus haurit.
Singula quid referam? Vix & praecordia circum
Serpſerat effundens ſe ſe, & per viſcera amarus

Tres horas liquor; & ſubito repreſſa remiſit
Vis morbi primum, penituſque deinde ſubacta
Ceſſit, & infirmo fugit de corpore languor.
Obſtupuere ambo mira dulcedine mentem
Capti, ultroque uxor ſibi rurſus, ſol ubi lucem,
Sideribus caelo pulſis, tenebriſque fugatis,
Attulit exoriens medicatum Cortice miro
Afferri cyathum juſſit, totumque libenter,
Impigraque exhaurit lignum mirabile laudans.

Diditur hinc rumor; namque ordine Proclus amicis
Cuncta refert: Nymphae quae forma; quis ore ſederet
Divino decor; unde ſibi ſua fata querenti,
Quemve ſecus fontem adſtiterit: quibus inde ſalutem
Juſſerit uxoris, vultu placidiſſima, verbis
Sperare, & praeſens petere alto ex monte levamen.
Tum Librum oſtentans nunc his, nunc protinus illis
Arboris & ſpeciem, qua ſectus, & omnia nota
Exequitur ſigna, & viſendi accendit amorem.

Corticis ex illo, totum quae jure per orbem
Nunc canitur, ſenſim vicina per oppida late
Utilitas noſci, & miranda potentia coepit.
Sed famam externis, ut mos, diffundier oris
Fata diu, & cunctis vetuere vada invia nautis.
Nec poſtquam durum felix audacia tandem
Vicit iter, patuitque novum nova ſemita ad orbem

Oceano in magno, ventiſque, Diiſque ſecundis,
Divitias inter, quas tecta ad patria multi
Aurifera ex regione dein retulere, ſalubrem
Hanc mercem quiſquam, qua non mage carmine digna,
Utiliorque alia, ex peregrino littore vexit.
Multa prius luſtra eois ſol aureus undis
Attulit exſurgens, iterumque ſub aequora tendens:
Calliditaſque orae, quodque exercebat in omnes
Externos homines odium vitricibus armis
Vix domita, atque diu indocilis conſueſcere freno,
Obſtitit haud patiens, toti natura quod orbi
Providit vitae auxiliumque, almumque levamen,
Exire ad terras alio ſub ſole jacentes.
  Irrita ſed tandem gentis ſollertia ceſſit;
Quoſque odio, ac livore ſuo magis ipſa putabat
Ira ardens memori, furiiſque exercita, dignos,
Munere vos superûm primi, fatiſque ſecundis,
Vim miram experti felici ex arbore raptas
Exuvias celebres laeti accepiſtis Iberi.
  Quid memorem, quae fama canit notiſſima? cuive
Haud notum eſt nomen clarae patrumque, virique
Egregiis factis quondam, nunc Cortice & ipſo,
Quem prima e cunctis alio ſub ſidere cretis
In Perua aegrotans tritum hauſit, cuique ab eadem
Inde fuit factum cognomen, feminae Iberae?

Illa quidem, ut ſtrato tandem adſtitit hoſpes ab urbe [52]
Conjugis imperio adcitus non diſſita, eamque
Solvere corde metum juſſit, certamque ſalutem
Sperare, & ſectum vicino in monte ſalubrem
Oſtendit Librum, vim miram, cunctaque, patrum
Quae cura, atque aſtus celaverat, ordine pandens, Proregis uxor Cortice curatur.
Quid cunctamur adhuc inquit? cyathumque parari
Praecipit, atque haurit; torret namque arida febris
Viſcera, nec requies miſerae datur ulla, nec ullum
Aut ſucci, aut herbae potuere afferre levamen,
Sed magis uſque furens, iteranſque & frigus, & aeſtum
Saevierat morbi vis effera corpore graſſans.
Hinc autem ignoti memoranda potentia Libri
Heſperiis primum celebrari coepit in oris; [53]
Mox & qua Tiberis rigat arva, atque inſonat undis,
Qua ſecat Eridanus campos, perque oppida cuncta

52 Pauſſo poſt (an. 1640) in urbe Lima, quae eſt Regni Peruviani Metropolis, uxor Proregis, qui tum temporis erat Comes *Del-Chinchon* febre tertiana ſaeviſſima (qualis illic loci epidemia eſſe ſolet) correpta funeſte decumbebat . . . Lubentiſſime annuens Proregina Corticem praeparatum ſumſit, &, ſtupentibus omnibus, ſtatim convaluit. Hinc fama hujus arcani titulo *pulveris Comitiſſae* inſigniti . . . . . . brevi multumque inclaruit. *Geoffr.*

53 Quare oportuit ad exteras quoque regiones deferri, adeoque ad Italiam noſtram, quemadmodum factum fuit an. D. 1649, conante id in primis, & curante *Joh. Cardinali De-Lugo* S. Jeſu. *Badus* ex epiſt. *Bolli*.

Francigenûm, & Tameſis quae ſpectat moenia celſa;
Jamque adeo toti paullatim innotuit orbi.
Hinc merito inductus viget uſus, &, arte magiſtra,
Nulla magis praeſens, potiorque medela paratur.
Namque ubi multiplices, quos permeat omne, quod imo
Concoquitur ſtomacho, anfractus medicata, potenſque
Unda fluens ſubiit, ſaevique furentia morbi
Semina perdomuit, ſibi pectore protinus aegra
Viſceribuſque aeſtum exſtinctum, membriſque vigorem
Reſtitui veterem ſenſit, febrimque fugatam.
Quare actis primum ſuperûmque hominumque Parenti
Sanata cum celebrat. Gratibus, & conjux, &, cui ſervata, maritus
(Jura illic populis dabat iſte a Rege ſecundus)
Corticis inde ambo laudes, ſua gaudia vultu
Teſtantes, celebrant: nihil ullo in divite Regno
Progigni melius: non aurum pectora amore
Sollicitare fero ſolitum, curaſque fovere,
Non baccas, gemmaſque irritamenta malorum,
Nec, quos arva Arabum, quos India gignit, odores.
Cedat huic, ajunt, quicumque ex arbore foetus
Pendeat alliciens, oculoſque manuſque in apricis
Collibus, aut nitidis hortis, cultiſque viretis.
Saepe nocent alii; recreant quandoque: ſalutem
Reddit, ut hic, aegris nullus, lethumque repellit.
In Hiſpaniam mittit. Regibus hinc donum, queis dives Iberia paret,
Queis

Queis Peruae nova Regna, recens in montibus altis
Arbore decerptus fatis felicibus orta
It Liber, ac Proceres multi donantur amici,
Muneris & vim mirantur; perque omnia tandem
Littore ab ignoto quondam, volventibus annis,
Oppida defertur, precibuſque, opibuſque paratur.
Salve o, cui vitam tot debent Cortice miro
Erepti letho, digniſſima carmine noſtro
Arbor, [54] & exuviis totum nunc clara per orbem.
Te nunquam feriat vibratum ex aethere telum

54 V. in pag. ſeq. hujus arboris ramum ad illius exemplar effictum, cujus formam in Peruviae montibus, ac prope juxta ſtipitem ipſum expreſſit, atque ad regiam Scientiarum Academiam Pariſienſem miſit an. 1738 V. Cl., ejuſdemque Academiae ſocius. *De la Condamine.* Literis *A A* flores indicantur e ſummis ramis exſtantes, & nondum expliciti, mutuoque nexi inter ſe, quorum communis pediculus ex alis foliorum prodit, quique figura, & colore caeruleo-cinereo *lavandulae* flores nonnihil referunt.

B B Flores expanſi, quorum corolla intûs colore eſt miniato, circa medium vividiori, ad oras pallidiori; extus vero rubore ſqualido cum lanugine albicante. Ex *Geoffr.* art. ſup. cit.

C C *Capſulae*, quibus ſemina continentur parva, compreſſa, margine cincta membranaceo pellucido. His autem vi elaſtica ruptis, prodeunt ſemina. *ibid.*

D D Eaedem *Capſulae* dehiſcentes in duo loculamenta ſepto intermedio diſtincta, quibus ſemina continentur. *ib.*

E E Arboris truncus, deciſis ramis, vectibuſque adnexis, quibus, tamquam ſcalis, utuntur Indi homines ad decerpendum Corticem.

Fulmineum; nunquam vis frigoris impetat artûs
Exurens, aut vis morbi, aut non cognita tabes.
Te propter celebres ſunt ſilvae, ubi tollis ad auras
Pulcra caput, celebres urbes, & littora, & ipſum
Claſſibus haud quondam tentatum audacibus aequor:
Nec Peruae eſt fama aurique, argentique fodinis
Clarior, aut aliis opibus, quam munere dio,
Exuviiſque tuis, avide quas optat, emitque
Ad Panamam miſſas gens omnis, quaſque reponit
Sollicite partas, ſervantque aliiſque, ſibique
Inter opes varias multi, quos fama per orbem
Praedicat, & praeſtans extollit ad aethera virtus.

Errata.	*Corrige.*
Pag. 13 *ver.* 19 Poſtulat uſus.	Poſtulat uſus,
39 *in margine* defoecatus	defaecatus.
40 *v.* 7 & 9 ſtamnea, ſtamnum	ſtannea, ſtannum.



MAG 2017749
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google